

Ceterum, quod Ecclesiastes ex sententia sua in libro suo loquens de animae nostrae immortalitate non dubitaverit, patet ex cap. 3, v. 17, ubi ait: *Et dixi in corde meo: iustum et impium iudicabit Deus.* Item ex cap. 12, v. 7, ubi expresse inquit: « Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum. *Ac versu 14: Cuncta, quae fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit.* »

44. **QUAERES V. Quomodo verba illa** (Eccles. c. 3, v. 1): *OMNIA TEMPUS HABENT, ET SUIS SPATIIS TRANSEUNT UNIVERSA SUB SOLE, concilientur cum subsequenti vers. 14, ubi OMNIA OPERA, QUAE FECIT DEUS, PERSEVERARE IN PERPETUUM dicuntur?* R. Prior textus agit de hominum actionibus, et negotiis suo tempore finiendis; posterior de rebus ipsis, stabiliter in sua specie permanentibus.

45. **QUAERES VI. Quomodo illud** (Eccles. c. 7, v. 5): *COR SAPIENTIIUM, UBI TRISTITIA EST, ET COR STULTORUM, UBI LAETITIA, concilietur cum illo Apostoli (ad Philipp. cap. 4, v. 4): GAUDETE IN DOMINO SEMPER?* R. In primo textu reprehenditur laetitia immoderata et profana; in altero textu laudatur laetitia seu hilaritas sancta et spiritualis. Unde primi textus sensus est: cor sapientium est, ubi severitas vultus, et gravitas morum, non ubi levitas et proclivitas ad risum. In altero autem textu sensus est: Servite Domino in sancta hilaritate et laetitia cordis: quia hilarem datorem diligit Deus; ut alibi (1) dicitur.

46. **QUAERES VII. Quomodo concordet illud** (Eccles. c. 7, v. 17):

(1) II. Cor. c. 9, v. 7.

NOLI ESSE IUSTUS MULTUM, cum illo (Apoc. c. ult. v. 11): *QUI IUSTUS EST, IUSTIFICETUR ADHUC, ET QUI IN SORDIBUS EST, SORDESCAT ADHUC?* R. Primi textus sensus est: *Noli esse iustus multum*, hoc est, nimium, vindicando nimirum tuam vel aliorum iustorum innocentiam, ac ex postulando cum d. providentia, quae permittit iustum perire temporaliter, et impium vivere longo tempore. Hic sensus patet ex contextu, ut apud *Menochium*, aliosque interpretes videre potes. Sensus autem alterius textus ex Apocalypsi desumpti est: *Quisque pius ac iustus accumulare studeat sua merita, sicut impii accumulunt demerita.* Hoc enim pacto et impiorum supplicia, et iustorum praemia tandem ad plenum suum cumulum devenient. Ita exponunt *Cornel. a Lap., Tirinus, Alcazar.*

47. **QUAERES VIII. Quomodo Ecclesiastes** (cap. 7, v. 29) *dicens: VIRUM (sapientem) DE MILLE UNUM REPERI: MULIEREM EX OMNIBUS NON INVENI, conciliari possit cum auctore libri Proverb. (cap. ult. v. 10 et seq.) laudante MULIEREM FORTEM, licet raro eam dari fateatur?* R. Illa Ecclesiastis locutio est hyperbole, qua ostendit, paucos esse viros sapientes et perfectos; foeminas vero prudentes paucissimas et vix ullas, propter sexus imbecillitatem. Ceterum Ecclesiastes, id est, *Salomon* non absolute negat, ullam dari foeminam sapientem; sed tantum ait, se nullam invenisse, vultque, ut s. *Hieronymus* in hunc locum observat, dicere: *Omnes enim (mulieres) me ad luxuriam, et non ad virtutem deduxerunt.* Forte *Salomon* alludit ad 700 uxores, et 300 concubinas suas (2), quas lepide perstringit.

(2) Vide III. Reg. c. 11, v. 5.

48. **QUAERES IX. Quomodo Ecclesiastes** (cap. 9, v. 1) *dicens: NESCIT HOMO, UTRUM AMORE VEL ODI DIGNUS SIT, concordet cum d. Paulo* (II. Timoth. c. 4, v. 7 et 8) *de se ipso asseverante: BONUM CERTAMEN CERTAVI... IN RELIQUO REPOSITA EST MIHI CORONA IUSTITIAE?* R. Quamvis prorsus certam et infallibilem scientiam de statu gratiae, vel praedestinatione sua homo (seclusa revelatione) in terris degens non habeat (1): coniecturalem tamen de his notitiam ex interno spei robore et virtutum exercitiis, quae anxietatem excludat, obtinere potest:

SECTIO IV.

DE CANTICO CANTICORUM

Libellus hic inscribitur *Canticum canticorum*, et non *Cantica canticorum*, ut aliqui perperam illud citare solent. Nam in hebraeo est שיר השירים *scir hascirim* in singulari, ut etiam apud graecos ἄσμα ἡρώδων. Dicitur autem *Canticum canticorum* ad denotandam eiusdem excellentiam, ita ut sensus sit: *Eximium prorsus, et omnium excellentissimum canticum.* Solent enim hebraei rem praestantissimam exprimere geminando substantivum hoc modo: *Deus deorum, Rex regum, Sanctum sanctorum, Mons montium.* Itaque similiter hoc appellatur *Canticum canticorum*, quia est *Canticum praestantissimum et suavissimum, et longe superat non tantum omnia cantica Moysis, Deborahae, etc., ut explicat Origenes, sed et ipsius Salomonis, qui composuit carmina quinque et mille (7),*

(1) Vide Tridentinum, sess. 6, can. 9.
(2) L. de immortalitate, et lib. adversus Demetrianum.
(3) Comment. in Psalm. 149.

prout docent *Cyprianus* (2), *Augustinus* (3), *Leo* (4), *Gregorius* (5), *Bernardus* (6), quos hac in re sequuntur alii doctores communiter. Itaque Ecclesiastes loc. cit. tantum negat, nos (nisi Deus id nobis revelet) posse habere absolutam et prorsus infallibilem scientiam de nostro animae statu, vel praedestinatione: s. *Paulus* autem vel solum asserit, se habere de sua praedestinatione firmam spem et certitudinem minus stricte talem; vel de ea specialem a Deo revelationem accepit.

estque auctor nusus ipsius *Cantici canticorum*, prout patet ex titulo in nostra vulgata his verbis extante: *Canticum canticorum Salomonis, etc.* Neque obstat quod in hebraeo sit לשלמה *Lisclomo, ipsi Salomoni, quasi ipsi potius inscriptum sit opus et dicatum, quam ab ipso compositum.* Hebraei enim, ut graeci, saepe dativo utuntur pro genitivo, praesertim cum rem alicui propriam esse significant; unde dicunt, *villa, quae est mihi, id est, quae est mea; liber, qui est illi, id est, qui est illius; sic in titulis psalmodum, pro psalmis Davidis Septuag. vertunt τῷ Δαυιδ, id est, Davidi in dativo, quia Davidi inspirati et dictati sunt psalmi a Deo, aequae ac Canticum hoc Salomoni.* Hinc et arabice hic libellus inscribitur: *Carminum carminum, sive laus laudum Salomoni sapienti, hoc est, cuius*

(4) Serm. 8 de Epiphania.
(5) L. 6 registri c. 187.
(6) Serm. 69.
(7) III. Reg. c. 4, v. 52.

auctor est *Salomon*; arabes enim dativo personae utuntur, cum significant rem alicui esse propriam et peculiarem (1).

Porro *Canticum canticorum* scriptum est in modum dialogi inter sponsum et sponsam, qui iam ut rex et regina, iam ut pastor et puella pastoritia, iam ut vinitor vel hortulanus et puella hisce laboribus in vineis et hortis occupata repraesentantur. Ex communi autem pp. sententia sub his allegoriis canitur epithalamium sive nuptiale carmen, quo incomparabilis amor Christi in ecclesiam sponsam, et reciprocus huius amor in Christum sponsum exhibetur: ubi tamen advertendum, Canticum hoc non debere sic de ecclesia intelligi, ut vel b. Virgo, vel quaelibet iusti hominis anima, quae sunt partes nobiliores ecclesiae, excludantur; nec vicissim de b. Virgine, vel de quavis anima, iusti, ut non id praecipue de ecclesia universa dictum putetur. Quamvis enim de b. Virgine tanquam sponsa lectissima et dilectissima celeberrimum hoc Canticum multi interpretes nominatim *Dionysius carthusianus*, *Rupertus tuitiensis*, *Martinus del Rio*, *Salmeron* et alii bene multi (2) sensu historico indirecto, aut tropologico, aut accommodatio elegantissime exposuerint: item quamvis idem Canticum de cuiusque iusti anima, tanquam singulari Christi sponsa explicant *Origenes*, *Nysseus*, *Theodoretus*, *Ambrosius*, *Bernardus*, aliique: ex communi tamen pp. et interpretum consensu in hoc libello Spiritus s. primario respexit et exprimere voluit spirituale conubium et reciprocum amorem inter Christum sponsum, et ecclesiam

(1) Vide *Cornel. a Lap.* proleg. in cant. cantic. cap. 1.

(2) Vide *Herman. Goldhagen* introd. in s. Scriptur. p. 2, n. 138.

sponsam. Huc etiam tendit interpretatio eorum, qui dicunt, hoc Canticum velut epithalamio celebrari ineffabilem unionem Verbi divini cum natura humana in incarnatione. Nam in desponsatione Christi cum ecclesia, sive in institutione ecclesiae includitur, et praesupponitur Verbi Incarnatio, velut in fine medium, et quasi in effectu causa. Ideo enim Verbum humanitatem assumpsit, sibi quasi despondit, ut per eam omnes homines, veram fidem amplexos, quasi membra sibi copularet et adstringeret, utque eorum esset caput, et quidem caput homogeneum, eiusdem scilicet cum hominibus generis et naturae.

49. QUÆRES I. *An Canticum canticorum inter libros canonicos merito numeretur?* R. Affirmative. Nam hoc Canticum tam ab hebraeis in veteri testamento, quam a christianis in novo semper habitum est pro scripto canonico. Accedit, quod omnia (3) argumenta, quae pro catholico sacrorum librorum canone pugnant, etiam canticum huius auctoritatem canonicam demonstrant (4). Unde detestandae audaciae maculam veteres quidam haeretici contraxerunt, inter quos saeculo quinto *Theodorus Mopsuestenus* erat: ultimis vero ecclesiae seculis *Anabaptistae*, *Castalio*, *Theologi Batavi*, et *Whistonus* anglus, ac recentissime in suo lexico philos. manuali *Voltairius*, qui omnes Canticum canticorum indignum censuere, ut inter libros canonicos referatur, blasphemiae asserentes, illud non spiritu Dei, sed impuri amoris afflatu esse conscriptum, nihilque continere nisi sermones amatorios *Salomonis* regis, et uxoris eius filiae

(5) Vide s. Script. contra incredulos propugnat., V. T., p. 4, n. 1-5.

(4) Ibidem.

Pharaonis, vel etiam amicae cuiusdam suae nomine *Abisag* sunamitis. Sed nempe *animales* eiusmodi *homines*, qui hanc de Canticum cantic. censuram ferunt, *non percipiunt ea, quae sunt spiritus* (1); prout ex praeloquio nostro in hoc Canticum facile colligi potest, et adhuc magis infra ex solutione sextae quaestionis patebit. Plura de canonica auctoritate eiusdem Cantici invenies apud *Calmetum* (2), et *Hermann. Goldhagen* (3).

OBICIUNT huius Cantici impugnatores, Dei nomen in Canticum canticorum nusquam extare; adeoque non esse divinum, et Spiritu s. afflatum conscriptum. R. Libri sacri auctoritas divina non ex Dei nomine, sed ex Dei revelantis auctoritate, et ecclesiae testimonio pendet. Ceterum in Canticum cantic. sub aliis nominibus epithalamio accommodatis Deus latet, nimirum *fratris* (4) *amici* (5), *dilecti* (6), quae ad amorem exprimendum et excitandum aptiora sunt, quam nomina maiestatis ac potentiae. Caetera adversariorum argumenta per decursum sequentium quaestionum solventur, aut apud auctores paulo ante citatos soluta extant.

50. QUÆRES II. *An cl. GROTIUS de Canticum canticorum decenter et recte scripserit?* R. Negative. Nam ut *Natalis Alex.* (7) merito ait: *Grotius* non multum abest ab errore illorum, qui Canticum canticorum non nisi amatorium carmen esse contendunt in gratiam filiae *Pharaonis* a *Salomone* conditum, et aiunt, hunc libellum nihil aliud

(1) Sunt s. Pauli I. Cor. c. 2, v. 14, verba in simili argumento.

(2) Loc. cit. n. 161 et seqq.

(3) Praefat. in l. canticum cantic.

(4) Cant. 8, v. 4. (5) Cant. 5, v. 16.

(6) Cant. 1, v. 13, 14 et 16. Item c. 2, v. 5, et alibi frequenter.

esse, quam garritum coniugum, lenesque amantium susurros, nihilque in eo divini esse, sed profanum duntaxat amorem spirare omnia. Addit quidem *Grotius*, laudabile esse christianorum studium, hoc Canticum ad spiritualem Christi cum ecclesia coniunctionem applicatum. Verum hoc dicendo memoratus auctor nondum distincte asserit, illud Deo inspirante a *Salomone* esse conscriptum, opusque vere divinum (8). Porro verba *Grotii* (9) sunt haec: « Carmen hoc (nimirum *Canticum canticorum*) vocatur hebraeis EXCELENTISSIMUM CARMEN, ob multas elegantias, quae in alium sermonem translatae, non idem sapiunt. Est autem (hoc carmen) garritus coniugum inter se, inter *Salomonem* et filiam regis *Aegypti*, interloquentibus etiam choris duobus tum iuvenum tum virginum, qui in proximis thalamo locis cubabant. Nuptiarum arcana sub honestis verborum involucris hic latent: quae etiam causa est, cur hebraei veteres hunc librum legi noluerint, nisi a iam coniugio proximis. Creditur autem *Salomon*, quo magis perennaret hoc scriptum, ea arte id composuisse, ut sine multa distorsione allegoriae latentes sensus in eo inveniri possent, quae Dei amorem adversus populum israeliticum exprimerent: quod et sensit et ostendit *chaldaeus paraphrastes*: nec aliter accepit *Maimonides*. Ille autem amor typus cum fuerit amoris Christi erga ecclesiam, christiani ingenia sua laudabili studio exercuerunt ad applicanda ad

(7) *Histor. eccles.* tom. 2 in quintam mundi aetatem dissert. 4, art. 4.

(8) Vide *Calmet* praefat. in canticum cantic.

(9) In annotationibus ad c. 1 canticum cantic.

eam rem huius carminis verba. Nam et apostoli Christi cum ecclesia coniunctionem matrimonio comparaverant. » *Ephes.* 5, v. 32. Ecce! non dicit *Grotius*, Canticum canticorum a *Salomone* ex inspiratione divina scriptum esse, sed solum, quo magis perennaret hoc scriptum, ea arte id illum composuisse, ut sine violentia ad amorem Dei erga populum israeliticum applicari possit: item *christianos ingenia sua laudabili studio* (industria scilicet humana) *exercuisse* ad sensum spirituales ex Canticum illo eruendum.

51. QUÆRES III. *An Salomon Canticum canticorum scripserit ante, vel post lapsum suum in luxuriam et idololatriam?* R. Non convenit quidem inter auctores, quo tempore et qua aetate hoc Canticum *Salomon* scripserit: communior tamen sententia cum *Salmèrone*, *Bellarmino*, *Cornelio a Lap.*, et *Calmeto* (1) tenet, scriptum esse ante lapsum *Salomonis*, verosimiliter non diu post nuptias suas cum filia *Pharaonis*, cum adhuc sapientia coelesti a Deo donatus casta piaque religione Deum coleret, et vocaretur *amabilis Domino* (2). Quare *Salomon* in hoc Canticum se castosque suos erga filiam *Pharaonis* affectus in exemplum profert, dumque in vera historia ea fingit, quae flagrantissimo amori congruunt, describit aptissime sub elegantis fabulae involucris coelestes amores, Christi et ecclesiae coniunctionem. Sed ne parum congrue regio nomini in amatorios sensus, ac verba deflueret, maiestate tantisper deposita, plerumque pastorem, vinitorem, aut hortulanum induit, et in idem vitae genus *Pharaonis* traduxit filiam. Neque id vacat mysterio, quod *Salomon* filiam *Pharaonis* sponsam suam tot laudi-

(1) Praefat. in canticum cantic.
(2) II. Reg. c. 12, v. 25.

bus exornet: ea quippe est imago ecclesiae, quam Christus etiam e gentibus congregavit. Ceterum *Del Rio*, *Bacchiarius* et alii, qui hoc Canticum a *Salomone* scriptum volunt post lapsum, illud ab eo iam poenitente compositum esse, asserunt.

DICES: In Canticum canticorum (3) numerus reginarum sexaginta, et octoginta concubinarum diserte affirmatur, non accensendo adolescentulas sine numero, quas *Salomon* habuit, dum Canticum hoc scripsit; ergo voluptatibus obscenis immer-sus Canticum canticorum scripsit. R. Tot reginas et concubinas cit. loc. *Salomoni* non tam tribui, quam per figuram concessionis permitti, numerumque certum ac definitum constitui pro indefinito, ita ut sensus sit: « Licet mihi sexaginta forent reginae, et octoginta concubinae, adolescentularum porro non esset numerus, una tamen est columba mea. » Vide *Menochium* aliosve interpretes in hunc locum. Alia est expositio s. *Hieronymi* et aliorum concedentium, *Salomoni* etiam sub initium regni, et quando Canticum canticorum scripsit, tot fuisse reginas et concubinas, non tam libidinis quam regalis magnificentiae causa, pro more regum in oriente dominantium, cum quibus proinde animus etiamnum castus et a Deo inspiratus consistere pro ratione illorum temporum potuisset. Neque per concubinas hic intelliguntur pellices, sed legitimae uxores, quamvis secundariae, prout iam alibi (4) indicavimus.

52. QUÆRES IV. *An Canticum canticorum habeat aliquem sensum literalem proprium, vel tantum sensum spiritualem?* R. Equidem *Theodorus Mopsuestenus*, eiusque se-

(5) Cant. 6, v. 7.
(4) Pag. 98, nota (1).

quæces supra (1) citati solum literalem sensum in hoc canticum admittebant, nihil sensum spirituales morati, quem tamen Spiritus s. maxime intendit; imo negabant ullum subesse sensum pium a Deo inspiratum, sed contendebant, unice ibi narrari amatoria colloquia et nuptias *Salomonis* cum filia regis Aegypti, vel alia amasia. At certum est, non omnia in hoc canticum habere sensum literalem proprium, sed quaedam sensu spirituali accipienda esse. Ineptissimae enim forent quaedam locutiones et gesta ibi contenta, si omnia *Salomoni* et eius sponsae vel amasiae in sensu historico seu literali proprio unice accommodanda essent. Quis enim credat, quod tanti regis sponsa facta sit custos vinearum, paverit oves iuxta tabernacula pastorum, ab excubitoribus fuerit spoliata, percussa et vulnerata? Neque decet sponsas magnorum principum obviis quibusque amorem suum aperire, uti sponsa in Canticum facit, et post sponsum currere etiam noctu per plateas et vicos civitatis. Praeterea forma sponsae *Salomonis* admodum monstruosa fuisset, si omnia Cantici verba sensu literali proprio seu historico sumenda essent. Habuisset enim caput instar *Carmeli* (2), nasum sicut *turrim Libani* (3) oculos instar *piscinae* (4). Spirituales igitur hic sensum investigare opus est. Interim nolim positive defendere nonnullorum patrum (5), et commentatorum sententiam, qui in hoc Canticum nullum prorsus quaerendum sensum literalem et historicum dicebant, nec in eo quidquam re-

(1) Q. 4, num. 49.
(2) Cant. 7, v. 5.
(3) Ibid. v. 4. (4) Ibidem.
(5) Vide praefat. *Theodoretii* in canticum cantic.

ferri ad temporale *Salomonis* cum foemina aegyptia vel iudaea connubium, sed unice de spirituali Iesu Christi cum ecclesia foedere illud scriptum esse contendebant (6). Neque enim improbandos censemus patres illos et interpretes, qui sensu literali et historico admissio, spirituales tamen praeferunt, suamque interpretationem Iesu Christo maxime accommodant. Hanc methodum, teste *Calmeto* (7), sibi constituerunt veterum et recentiorum interpretum plerique. Nec immerito: nam magna vel maior pars veteris Testamenti (quid mirum, si idem fiat in Canticum canticorum?) duplicem sensum, unum historicum et literalem, alterum mysticum et spirituales continet. Certe, quod multa in V. T. praeter sensum literalem habeant sensum mysticum, satis aperte docet s. *Paulus* (8) dicens: *Haec omnia in figura continebant illis.*

OPPONES: Sensus mystici usus longe posterior est aetate *Salomonis*: nam prima eiusdem origo ad essaeorum sive therapeutarum aetatem referenda est; ergo Canticum cantic. a *Salomone* scriptum non continet sensum mysticum. R. Neg. Antecedens multo falsissimum. Nunquid enim Iud. c. 9, v. 8-16. *Ioatham* apologus: item II. Reg. c. 12, v. 1-5. *Nathanis* parabola iam ante *Salomonis* aetatem; nunquid in vaticiniis prophetarum, maxime apud *Ieremiam*, *Ezechielem*, *Danielem* et *Zachariam*, diu ante aetatem therapeutarum, plurima symbolica, figurata, aut sensum mysticum habentia haud reperiuntur? Nonne ex apostolo novimus, legem

(6) Vide praefat. *Calmeti* in canticum cantic.
(7) Ibidem.
(8) I. Cor. c. 10, v. 11.

mosaicam umbram fuisse legis novae; adeo ut omnia veteribus hebraeis in *figura* contigerint, prout s. Paulus in epistola ad hebraeos explicat?

At INSTAT Whistonus hunc in modum; nullus vel in vet. vel in N. Testam. liber integer reperitur, qui (quemadmodum Canticum canticorum) totus sit allegoricus, totus tamen allegoriae evolutione et clave (uti in Canticum canticorum fit) destituatur. R. Falsitas huius asserti patet vel ex unius s. Ioannis apocalypticis visionibus, ad hunc usque diem explicatu difficillimis. Porro qualis inter Canticum cantic. et Apocalypsin harmonia intercedat, copiose ostendit *Cornelius a Lap.* (1).

53. QUÆRES V. *An lectio Cantici canticorum omnibus promiscue suadenda aut permittenda sit?* R. Negative. Nam quicumque profanis oculis et minus casto corde ad legendum hoc canticum accedit, pro spiritu vivificante occidentem literam offendit; ut praeter alios monet *Origenes* (2) his verbis: « Epithalamium libellus, id est nuptiale carmen, in modum mihi videtur dramaticis a Salomone conscriptus (scilicet Canticum canticorum), quem cecinit instar nubentis sponsae, et erga sponsum suum, qui est sermo Dei coelesti amore flagrantis. Adamavit enim eum, sive anima quae ad imaginem eius facta est, sive ecclesia. Sed et magnificus hic ipse atque perfectus sponsus, quibus verbis usus sit ad coniunctam sibi animam, vel ecclesiam, haec ipsa Scriptura nos docet... Perfectorum autem est solidus (iste) cibus; et tales requirit auditores, qui pro possibilitate sumendi exercitatos habeant sensus ad discretionem boni et mali... Si vero aliquis accesserit,

(1) In prolegomenis in canticum cantic. c. 4.

qui secundum carnem tantummodo vir est, huic tali non parum ex hac Scriptura discriminis, periculique nascetur. Audire enim pure et castis auribus amoris nomina nesciens, ab interiore homine ad exteriorem et carnalem virum omnem deflectet auditum, et e spiritu convertetur ad carnem, nutrieturque in semetipso concupiscentias carnales, et occasione divinae Scripturae commoveri et incitari videbitur ad libidinem carnis. Ob hoc ergo moneo, et consilium do omni, qui nondum carnis et sanguinis molestiis caret, neque ab effectu naturae materialis abscedit, ut a lectione libelli huius, eorumque quae in eo dicuntur, penitus temperet. Aiunt enim observari etiam apud hebraeos, quod nisi quis ad aetatem perfectam maturamque pervenerit, libellum hunc ne quidem in manibus tenere permittatur. » Hucusque *Origenes*. Nemo igitur in legendo hoc Canticum amanti sponsi et sponsae colloquia et amores carnaliter aut corporaliter cogitet sed spiritu ascendat ad suavitates et dulcedines animorum, quae omnem carnis et mundi delectamentum superant, ne in verbis aeternae vitae certissimam spiritus mortem sibi accersat. Utinam hoc sibi notarent carnales homines, et quamdiu tales sunt, a legendo hoc Canticum abstinerent! Fructus enim huius lectionis non alius expectari aut potius timeri potest, quam carnalia peccata, quibus se et alios qui ipsorum obscoena et impia de sacro illo carmine scripta perlegunt, commaculant et perdunt. Exemplo est *Voltairius*, cuius impius et spurcissimus commentarius in Canticum canticorum, ut primum lucem vidit, decreto supremi senatus ad rogam est damnatus.

(2) In prologo in canticum cantic.

Si porro QUÆRES: *An omnes versiones Cantici canticorum approbandae sint, etiam illa CASTALIONIS?* R. Negative. *Castalio* enim Canticum hoc nimis affectata vocularum blanditie vertit, quas ille voces ex profanis auctoribus mutuans, perniciosas quasque passiones veluti ad vivum depinxit, et sannis impiorum exposuit opus venerabile. Aut an Spiritu s., vel potius amasio digna sunt illa verba: « Mea columbula... fac, ut audiam tuam voculam. Nam et voculam venustulam, et vulticulum habes lepidulum » et quae sunt plura eiusmodi? Vide *Gretserum* (1), et *Calmetum* (2). Unde haud mirum, quod ipse *Theodorus Beza* in *Castalionem* invecus sit, et huius in vertendo Canticum cantic. absurditatem, et consilii levitatem vehementer improbarit.

54. QUÆRES VI. *Quomodo sponsus sponsam (Cant. 1, v. 7) potuerit vocare PULCHERRIMAM MULIERUM; cum sponsa ipsa (ibid. v. 4) de se dicat: NIGRA SUM. Et (v. 5): FUSCA SUM, QUIA DECOLORAVIT ME SOL. An nulla hic datur contradictio?* R. Nulla. Nam licet ista verba secundum sensum literalem seu historicum spectata alicui videri possent antilogiam, seu contradictionem continere; nullam tamen continent, si spectentur, prout vel unice, vel potissimum spectari debent, secundum sensum spiritualem et mysticum. Nam sponsa seu ecclesia Christi est quidem fusca exterius, intus vero ex gratia Christi, virtutibus et donis Spiritus sancti pulcherrima. In humilitate enim fundata, et multis persecutionibus vexata, foris intuentibus contemptibilis videtur, penitus vero noscentibus amabilis et venerabilis. Unde

(1) Tom. 8 operum suorum p. 353.

ipsa sponsa loc. cit. v. 4, ait: *Nigra sum, sed formosa*. Ceterum etiam in sensu literali et historico sponsa *Salomonis*, seu filia regis aegyptii potuit se dicere nigram, fuscam, et a sole decoloratam, quia aegyptiae mulieres generatim fusco sunt colore; quamvis caeteroqui possint esse, et saepe sint formosae et pulchrae.

55. QUÆRES VII. *Quomodo (Cant. 4, v. 7) sub typo sponsae de ecclesia dici possit: TOTA PULCRA ES, AMICA MEA, ET MACULA NON EST IN TE; cum tamen in ecclesia tot mala, tot peccata et peccatores existant?* R. Quae loc. cit. dicuntur, magis ad ecclesiam triumphantem, in quam nihil coinquinatum ingreditur, et quae sine macula est et sine ruga, quam ad militantem pertinent: possunt tamen etiam de hac dici, quantum ad professionem sanctitatis et fidei; nihil enim in fide falsum, in moribus pravum docet orthodoxa ecclesia.

56. QUÆRES VIII. *Quomodo (Cant. 4, v. 16) his verbis: SURGE, AQUILUS, ET VENI AUSTER, ET PERFLA HORTUM MEUM, ET FLUANT AROMATA ILLIUS, sponsus hos ventos prudenter advocare potuerit ad perflandum hortum, cum non tantum loco, et qualitatibus ii contrarii sint: sed AQUILUS insuper hortis non modice noceat?* R. Duplex diversa interpretum expositio huius loci datur. Prima est *Calmeti* dicentis, *Salomonem* cupere, ut venti hi non simul, sed subinde et vicissim perflent hortum suum, ut illius odor latius diffundatur, h. e. ut nomen, pulchritudo, et meritum sponsae suae quocumque diffundatur, ac omnes intelligant, illam omnes sponsas et oris specie, et animi virtute antecellere. Altera, eaque mea opinione verisimilior ex-

(2) Praefat. in canticum cantic.

plicatio est *Sanctii, Estii, Theodoretii, et Menochii* affirmantium, quod dum aquilo a sponso surgere iubetur, intelligi debeat, quod ei suo horto interdicat, et non in eundem invitet, ita ut citati textus sensus sit: « Fuge, recede, aquilo; tu autem, auster, veni, et perfla hortum meum. » Ratio sic interpretandi est; quia in hebraeo pro surge est עָרַר *'uri*, id est, *evigila*, Syrus *expergi-scere*, qui quasi dormis. Haec autem vox ambigua est, potestque habere hunc sensum: « Surge ut abeas, matura fugam, cito discede, o aquilo, quia tu es ventus frigidus, plantas adurens et enecans, ut veniat tibi succedat auster, qui suo calore et humiditate flores et arbores vegetat et foecundat. » Quamvis si *surge* accipiatur in alio et opposito sensu, ut referatur ad *perfla*, tamen aptam aliquam

significationem facere possit; prout in prima expositione citati textus indicavimus. Vide *Cornelium a Lap.* in eundem locum.

57. QUÆRES IX. Quomodo sponsus in hoc Cantico modo *rex* (1) et *pastor* (2) et suae sponsae *frater* (3); sponsa vero simul ut *filia principis* (4), et *vinitoris* (5), et tamen ab excubitoribus *percussa* (6), et *vulnerata* (7) induci possit sine antilogia seu contradictione? R. Quae in Cantico canticorum narrantur, non unice *Salomoni*, et filiae *Pharaonis* accommodandae sunt. Altior hic sensus latet, quo sub schematibus sponsi et sponsae, pastoris et gregis, vinitoris et vineae amor Iesu Christi in ecclesiam, et eiusdem in Iesum Christum reciprocus describitur; prout iam supra (8) indicavimus.

SECTIO V

DE LIBRO SAPIENTIAE

Totus est hic liber in institutendis regibus, principibus ac iudicibus ad zelum et amorem iustitiae; praecipue tamen ad sapientiam, cuius originem, pretium, utilitates copiose exponit. Illustria quoque de Christi, qui vera Sapientia est, passione vaticinia hoc libro contineri, patebit conferenti caput 2, a vers. 17, prope usque ad finem cum iis, quae de iudaeorum adversus Christum conciliis, dictariis, et machinationibus in evangeliiis recen-

sentur. Auctor autem huius libri incertus est; prout *Calmet* (9) fuse ostendit. Equidem sententiae in hoc libro contentae *Salomonis* esse creduntur, ita tamen, ut illae ab alio quodam in scriptum seu librum redactae fuerint. Hinc, quamvis hunc librum ss. patres (10) non raro sub titulo *Sapientia Salomonis* laudent; alius tamen a *Salomone* eiusdem auctor est. Certe, si *Salomon* hunc librum scripsisset, in canone esdrino fuisset positus; quod tamen

(1) Cant. 1, v. 5 et 11, ac alibi.

(2) Cant. c. 1, v. 6 et 7. Item c. 2, v. 16.

(3) Cant. 8, v. 1.

(4) Cant. 7, v. 1.

(5) Cant. 2, v. 15, ac alibi.

(6) Cant. 5, v. 7.

(7) Ibidem.

(8) Q. 4, n. 52.

(9) In dissertatione commentario suo in lib. Sapientiae praemissa.

(10) *Tertullian.* l. 1 de praescript. c. 7, s. *Hilarius* in psalm. 127, s. *Ambrosius* de parad. c. 7, et alibi.

factum non est. Ceterum s. *Hieronymus* (1) refert, iuxta multorum existimationem *Philonem* huius libri compositorem esse. Ubi tamen notandum, quod *Philo*, de quo hic loquimur, non is fuerit, qui tempore apostolorum vixit; sed antiquior alius, quem *Genebrardus* putat unum fuisse ex LXX interpretibus. Verum nullus *Philo* in historia LXX interpretum ab *Aristaea* nominatur; cum tamen in ea recenseantur nomina, et tribus singulorum LXX interpretum (2). Unde hodie plurimi existimant, non a *Philone*, sed ab alio iudaeo quopiam divinitus excitato, graecique sermonis perito (originaliter enim lib. Sapientiae probabiliter graece scriptus est), ac forte ab uno LXX interpretum librum Sapientiae fuisse compositum. Sed, ut diximus, res est incerta.

58. QUÆRES I. An lib. Sapientiae sit canonicus? R. Affirmative. Quamvis enim non sit proto-canonicus, est tamen deuterocanonicus, ac ab ecclesia catholica merito in numerum sacrorum librorum relatus; prout alibi (3) iam ostendimus, et polemici ac scripturistae passim contra protestantes ostendere solent. At

OPPONUNT I. S. *Hieronymus* (4) de libro Sapientiae ait: *Valebat tantum ad aedificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam*; sed si esset liber vere divinus et canonicus, valeret etiam ad confirmanda dogmata fidei. R. I. Ex hoc dicto s. *Hieronymi* plus non sequitur, quam librum Sapientiae aliquando non valuisse ad praedictum effectum,

quando nimirum ab universa ecclesia nondum erat receptus in canonem sacrorum librorum; non autem inde inferitur, *nunc* ad illum effectum praestandum non valere, postquam a Tridentino solemniter declaratus est canonicus. Igitur s. *Hieronymus* duntaxat vult, quod lib. Sapientiae tunc non fuerit omnino validus ad haereticos convincendos, et dogmata fidei contra eos stabilienda, quando huius libri auctoritas divina inter ipsos catholicos erat adhuc controversa. R. II. s. *Hieronymo*, et aliis quibusdam patribus, cum eo hac in re idem sentientibus, opponi possunt alii patres de libro Sapientiae contrarium iudicantes, videlicet eum etiam ad dogmata fidei confirmanda adhiberi posse. Sic s. *Iustinus* (5) contra iudaeos utitur illo ex lib. Sapientiae (6): *Circumveniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, etc.* S. *Basilii* (7) probat, Spiritum s. esse Deum ex illo (8): *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, etc.*; et sic de aliis. R. III. Quam male protestantes contra lib. Sapientiae, aliosque libros deuterocanonicos vet. Test. ex dubitatione primorum seculorum argumententur, inde patet; quia ipsimet hodie in canonem recipiunt libros novi Test. nempe epistolas *Iacobi*, *Iudae*, 2 *Petri*, 2 et 3 *Ioannis*, epistolam ad hebraeos, *Apocalypsin*, quos *Lutherus*, alique ipsorum primi parentes olim reiecerunt.

OPPONUNT II. Liber Sapientiae deest in canone iudaeorum, quos latuisse hoc opus ante adventum Christi videtur; ergo non est cano-

(1) Praefat. in libros *Salomonis*.

(2) Vide *Sixtum Senensem* in bibliotheca sancta, l. 4, verbo: *Septuaginta*.

(3) Vide s. *Script.* contra incredulos propugn., V. T., p. 4, q. 1, num. 1-17

(4) Praefat. in lib. *Salomonis*.

(5) *Dialog. cum Tryphone* in fin.

(6) *Sapient. c. 2, v. 12.*

(7) L. 5 contra *Eunomium*.

(8) *Sap. c. 1, v. 7.*